



**Iohannis Sturmij, rectoris academiae Argentoratensis
perpetui, Neustadium. Epistola Nunc demum edita ; Opera
atque studio Iohannis Bleydneri Neagoraei Palat. Subiecta est
delineatio vitae Sturmij.**

<https://hdl.handle.net/1874/452498>

4

NOBILISSIMO ET

SPECTATISSIMO, ET AMPLIS-

SIMO, ATQVE HONORATIS-

SIMO VIRO,

DOMINO

PHILIPPO WAMBOLDO,

AB VMBSTAT, &c.

PRO-ELECTORI AMBERGICO:

NEVSTADII OLIM PROPRINCIPI, &c.

Domino suo honorificentissime & sub-
misit colendo.

IOHANNIS STURMII, ACADEMIAE ARGENTORATENSIS Rectoris, ut Primi, ita dum viveret, Perpetui, Viri cum semper, tum etiam post fata Clarissimi: NEVSTADIVM: Epistolam, tametsi Illustri & Generoso Comiti Iohanni ab Ostrorogo, &c. inscriptam ab autore, nulli tamen, praterquam tibi, Proprinceps Wambolde Nobilissime & Splendidissime, in hoc tempore, quo in lucem à me emittitur, nuncupari rectius posse, multis adductis rationibus, statuo.

Continet enim non solum descriptionem & expressam & elegantem Civitatis illius, cujus tu, dum exul ibi illam consciceret Sturmius, Proprinceps eras: Sed Scholæ etiam atq; Gymnasij, te non Proprincipe modo, sed & autore atq; patrono inter ceteros primario, ibidem aperti, amplificati, conservati, auspiciis, liberalitate, sumtu, Summi illius, & Forissimi, & Illustrissimi, & nunquam satis laudati, pia memoria, Principis, IOHANNIS CASIMIRI: Palatini Rheni Comitis, &c. laudationem, ut verissimam, ita ab eo profectam: qui & laudatissimus ipse, & solus: cum alijs rebus laudabilibus quibusvis, tum Academijs in primis & Scholis laudabiliter constitutis, collaudandis, præ ceteris, satis esse & possit & debeat.

Sed his non contentus autor, ab Oppidi & Gymnasij atq; Collegij Nevstadiani encomijs, haud raro, imò frequentius propequam quis in ist-

hac tam brevi epistola fieri posse putarit, etiam in aliarum, cum Urbium, tum Academiarum atq; Collegiorum laudes ita digreditur, ut singula singulis ornamento insigni esse queant, & singulari atq; eximia cum laudatione eorum, quorum vel beneficis ceperunt, vel patrocinio conservantur, sint conjunctae: Laudatissima verò suo quodam modo semper emineat Neapolis illa Nemetum antiqua tua, & Neapolitana Academico jure ab ipso digna judicata: Schola, cum Professoribus & Magistris atq; Doctoribus suis niteat.

Porro verò de elogis ut taceam, Imperatorum, Regum item, & Principum complurium, quibus haec epistola refertissima est & amplissimis & honorificentissimis. Equantus est hospes iste tuus Neapolitanus, exul gratissimus Sturmius, in ornandis atq; laudandis PALATINICIS Principibus, majoribus & antecessoribus hujus nostri, qui ad Electoratus jam gubernacula sedet, Principis & Domini nostri, ut Illustrissimi, ita Clementissimi, FRIDERICI IV. Palatini Comitis? tantus certè, quantum tanti Principes, Principumq; tantorum tanta monumenta, cujusmodi NEUSTADIANVM istud est & CASIMIRIANVM GRMNASIVM, merentur. Cujus, ut reliquarum etiam ditionum amplissimarum, praeter Heidelbergensem Academiam & Neobusanam, & Ambergensensem, & Neagoraeam: nostrates, & alias in Palatinatu Scholas Illustrès quamplurimas, cum non modo heres unicus & germanus extiterit, sed etiamnum Patronus atq; Amplificator munificentissimo existat, FRIDERICVS ille, quem posui, ELECTOR noster, qui fieri possit, qn una cum hereditate, & honoris & pietatis & virtutis, à majoribus accepta, laudes etiam eorundè, cum hereditario, tum suo etià quodam jure, & quasi per traditionem quendam Antiquissima & Illustrissima SIMMERIANÆ Palatinorū FAMILIÆ, ut IOHANNIS proavi, ut FRIDERICI avi, ut LYDOVICI patris, ut CASIMIRI patris, tutoris atq; parentis alterius, Optimorū Principum omnium, ad ipsummet Optimum nepotem transferint? Quibus tu, VVambolde Proprinceps, Iohanne excepto, Principibus omnibus & singulis, cum semper, ob eximias tuas virtutes, & praclarè studia, atq; egregia merita, fueris & charissimus & commendatissimus, ut, quemadmodum jam Palatinatus hujus Electoralis Bavarici habentis Proelector moderaris; ita cum alijs praclaris muneribus aulicis praclarè de-

defunctus, tum etiam, quod sibi Sturmius in hac Epistola commendandum fuit, Neustady, fueris Proprinceps propè perpetuus. Eccuinam, quam tibi, ob eas, quas hactenus proposui causas, jure ea magis dicatur?

Neq; verò, dum amplissimo tuo nomini, Proprinceps benignissime, epistolam isthanc consecro, illustrem & Generosum Ostroroganum Comitem, Clementem meum Dominum, jure suo vel fraudatum vel privatum cupio, quin potius, ut tuam, ita suam quoq; Commitem verò utriq; jure quodam & ratione sua, esse volo. Suam, Comitum inquam, auctoritatem, Tuam, Proprinceps, Locum, utriusq; gratitudinis & observantiae debita nomine. Nihil ut habiturum confidam, Generosissimi animi Comitem, si cum fratre Nicolao suavissimo Comite, adhuc superstes est, nihil enim de ipsis audio, quod de injuria sibi per me facta possit conquiri, si te, tanta auctoritatis virum, et non videri hujus Epistola accitum à me intellexerit, recordatusq; fuerit, quanto & tu Sturmium patrocinio atq; favore, cum illam scriberet, ipse verò & gratia & benevolentia atq; studio, Argentorati dum esset, uterq; amore, quoad vixit, summo profecuti fueritis, virum perpetuo & laude & favore bonorum omnium, etiam post obitum dignissimum, dignissima istiusmodi patronorum tutelae monumenta viri, vos quoq; monumentis ipsius dignissimos, te Comitesq; Ostroroganos, aequè patronos.

Quæris fortassis, vir Spectatissime, Cur ego hanc edam epistolam: Et: Cur nunc demum edam: Et: Quamobrem ab autore, ut in prima ejus salce perscripserat, tum, cum illam scriberet, non fuerit edita?

De postremo tibi, pro eximia tua sapientia, Proprinceps, jam constat, meministi enim, opinor, cujusmodi tum tempora, & homines, & mores fuerint, & quàm inter Gamalieleles etiam propè nullus Gamaliel, cujusmodi etiam rationes Sturmij, quin ederet, ut plura in hanc sententiam scribere non attineat.

De Primo respondeo, duplici me id jure meo facere, tum, quòd dono mihi ab autore ipso, hoc nomine, ut ego illam, quemadmodum alia etiam ipsius apud me reposita *νευσταδία*, illam verò cum primis ederem, concessa fuerit, tum, quòd in ea, ut aliorum fecit honorificam, ita mei amantem dignatus fuerit mentionem facere, eamq; crebriorem, & nisi

me fallit memoria, iteratam tertio, non equidem ut meum nomen amplificare, sed partim, ut me Comitibus Ostroroganis, Argentorati & post Altdorphy presentem presentibus commendatissimum, absentibus etiam absentem magis magisque redderet commendatum; Partim etiam Principi CASIMIRO, & qui ipsum, se mortuo, me superstiti, secuturi essent Palatini; PATRIÆ MEÆ PRINCIPIBUS, redderet gratiosum. Nimirum vel hac ratione, charitatem & benevolentiam erga me suam planè paternam publicè testatam facturus, & vicissim gratificaturus mihi, pro pietatis illis officijs, quæ ipsi nonnulla, pro summis in me meritis suis, tum pro mediocritate mea declarare, tribus meis digitis & manu mea atq; oculis meis studui, dum apud ipsum viverem, temporibus istis difficilissimis, & in isthoc exilio suo Neustadiano. Cujus ego ipsi ut comes cum discipulis Generosis adolescentibus Marquartis Bohemis Equitibus fueram, ita illum ab eodem, Literis XV. Virorum Argentinesium humaniter revocatum, in cisisio mecum reportavi.

Cujusmodi ista fuerint, quæ ipsi tum, ut scripsi, præstiti, quis item & quanto viri in me amor fuerit, meum non est explicare fusiùs, ut ne vel arrogans videar, vel modum epistola excedam. Testis mihi tute ex parte es, Pro princeps Nobilissime, testes epistola, quibus me anno 1583. Aprilis mense, & tibi, & Doctori Ehemio, & Doctori Iohanni Alberto, Cancellarijs, etiam Fabiano Baroni Thonino, Heroi fortissimo, ipsiq; adeo Principi Casimiro, commendavit. De alijs, ut taceam, testes viri passim & Optimi, & Clarissimi & Doctissimi & Nobilissimi, tum familiares Sturmij. Certasse nos certum est inter nos, Charitate ipsum erga me tanquam parentis, me pietate erga illum tanquam filij, ut quadam ipse in epistola testatur, & adhuc manes atq; cineres viri venerandi mihi sunt, Venerandi, dum vixero, futuri. Incitamenta omnia, quæ posui, futura ad virtutem virtutisq; studium, & mihi, & filiis, & nepotibus, si quos sum habiturus, toridem, quota & mihi & illis illorum erit recordatio, erit autem perpetua.

Quod citius non ediderim, verecundia me in presentia prætextus tueatur. Sat citò edidero, si sat bene, & si cum bono meo, isthoc tam necessario meo tempore, imò si cum laude & decore beatarum Casimiri Principis & Sturmij animarum, edidero, extorrem propè aliquan diu à mustio meo, ac vix dum ab amicis recuperatam postliminio.

*Ansam etiam dare volui istius editione epistola, alijs viris Claris-
simis, amicis & discipulis Sturmij, ut & ipsi Sturmiana similia & ampli-
ora multo tandem in lucem proferant, nec apud se scripta & laudes sum-
mi viri in suis scrinijs consepulta diutius cū Sturmio sepulto esse patiantur.*

*Equidem, vehementer dolendum est, Virum, ut de meritis ipsius
extimys reliquis nihil dicam, erga quos vis etiam infima sortis homines
beneficentissimum, post funera penè, Philippo Glasero Iureconsulto Ar-
gentoratensi, & Georgio Calamino Silesio Poëta, Literatissimis & Opti-
mis viris, & paucis alijs exceptis, nactum esse velamicum, vel discipu-
lum, quos per Europam habet innumerabiles, gratum neminem, qui suis
ipsum & meritis praconijs in posteritatem commendaret. Verè ipsi
accidit, de quo cum alibi & in Antipappis suis saepius, tum in quadam ad
Lazarum Suuendum Hohealantbergicum Baronem pro me infurio-
sis Orgys fabrilibus scripta epistola conqueritur: Mihi, inquit, accidit
idem, quod Philippo Melanthoni à suis discipulis, fortassis, ut herba, sic in-
genia hominum sua habent perpetua semina. Dum viveret, discipu-
los habuit & clientes ingratos quamplurimos, ut Flacium Melanthon
& alios, Mortuis utriq; multi non grati obtigerunt. Sed ut Philippus
gratos paucos, nonnullos tamen: tandem etiam Sturmium decrepita eta-
te patronum nactus est: Sic Sturmius etiam suis non destituetur prae-
conibus, habiturus fortasse ex posteritate plures, quàm nunc in tanta disci-
pulorum turba.*

*Etiam Iuris quidam magnus Antistes, quem in hac sua epistola
honorificè nominat, VITAM STURMII, ab ipsomet Sturmio morti vicino
sibi dictatam, non edit, premit fortè, donec maturescat, quem hortor &
oro, atq; etiam, per manes, si licet, & si illos adhuc veneratur, Sturmij
obsestor, ut primo quoq; die redi vivum nobis Sturmium praestet, neq; e-
nim nopum in annum premere decet, quæ elaborata ex tempore ab isto li-
teraturæ omnis erudite parente matura ilicò extiterunt.*

*Et istum igitur atq; alios hortor, Doctorem Glaserum inprimis,
serè ac verè solum philosturmium Sturmij Laudatorem, amicum meum
veterem & integerrimum, ut quæ penes se Sturmiana habent, promant.
ego paucula, quæ habeo, libenter conferam in medium, saltem Sturmij elo-
quentiæ flumen ad posteritatem promoveamus: pro virili quisquè, quæ
ad*

ad rem nuper adeo etiam Nobile illud Reip. & Musarum Vratislaviensi-
um decus, Iacobus Monavius, literis ad me humanissimè scriptis, operam
atq; studium suum ultrò & prolixè est pollicitus. Utinam verò ego inge-
nio & ingenij viribus aequè atq; illi, & complures alij, quos novi, & de-
signaturus atq; provocaturus sum publicè, si latitare, publico cum rei li-
teraria incommodo, pergant, valerem: vel solus Sturmium, in quo colen-
do patriam mihi eamq; perpetuam sanctitatem constitui, inter mori nun-
quam fuerim passurus, suapte sponte immortalẽ futurum, etiamsi pra-
conibus destituatur vocalibus, vel monumentis suis immortalẽ factum
atq; dilaudatum artificem, ut Musa mori vetuerit.

Sed prolixior sum, quàm pro modo epistole, praesertim qua presã-
tionis vice desungi debeat, quàmve vel Neustadium Sturmij, ejusdem-
ve dignitas, veletiam Amplitudo tua patiatur: partim pietatis & gra-
titudinis, quæ metas non habeat, studio erga optimum & obseruandum
Præceptorem atq; Parentem meum alterum, Sturmium, partim stomacho,
quo, in re indigna maximè, natura quodam vitio meo, soleo esse effusiori,
adversus malè memores Sturmij discipulos, gratos enim semper excipio,
in hunc digressionis campum sui abreptus, ac proinde me veniam me-
riturum, cum apud viros Philosturmios, id est, bonos omnes, tum apud
te quoq; virum ad benignitatem & ad humanitatem & ad ignoscendã
facilitatem & natum, & factum, & edoctum: atq; totum compositum: sa-
cilius confido.

Quod reliquum est, Proelector Splendidissime, Magnificentiam Tuam summissè
se rogo, ut quodcumque hoc est, quod è penu aliena depromptum, dono tamen meum
factum munusculum offero, benigno & vultu atq; animo à me accipiat, meq; si gra-
tia dignum iudicat, antiqua gratia, grati vicissim animi studiosissimum, porro com-
plecti pergat. Deum oro, ut Amplitudinem tuam, Palatinatui Patrie, Ecclesie,
Reipublice & bonis omnibus, diu sanam & prosperam atq; salvam conseruet, am-
plificet atq; defendat. Scripsi in Monte Gratiae Palatinorum. KL. Octob.
quæ primæ, anno ab hinc Octuagesimo sexto, Sturmio Natales Sleida extiterunt.
Anno verò hoc Christi. M. D. XCIII.

Nobilissima & Spectatissima Amplitudinis tue
Obsequentissimus famulus
Iohan Bleydner Neagoræus, Pal.

IOHANNIS
STVR MII:
RECTORIS ACADEMIAE AR-
GENTORATENSIS. P.

NEVSTADIVM.

Ad
ILLVSTREM ET GENEROSVM
COMITEM:

DOMINVM: DN. IOHANNEM:
Comitem ab Ostrorog, &c.

EPISTOLA.

CALENDIS AVGVSTI AB VRBE ARGENTI-
na discedens hora prima pomeridiana, tertia die maturè
NEVSTADIVM perveni, ubi ab amicis humaniter & hospi-
tali ter exceptus, supra quàm à me queat commemorari, die inse-
quenti mansi. Quinto Spiram contendi, consulturus ibi juris &
actionum forensium peritos, apud quos eandem reperi erga me be-
nevolentiam, amorem. studium, in consulendo non solùm, sed eti-
am consolando.

Horum consilio cognito, dimisso à me Iohanne Bleydnero,
cum duobus Marquardis, patruelibus, discipulis suis, Neustadium
sum reversus.

Non statueram Neapoli commorari biduo ampliùs, sed ita se-
se, & animos erga me suos explicârunt istius loci cùm veteres ami-
ci, tùm etiam docti viri, ut discedere ab ijs non queam, dum Senatus-
consultum contra me factum deprecet, & me defendam, nomenq;
& existimationem meam tuear, adversus paucorum hominum in-
fames injurias.

Nisi ista humanitas & benevolentia esset, aut Basileam, aut
Bernam, aut Tigurum, cogitabam, donec istæ tempestates meliori
aliquo Iove discuterentur.

B

Confirma-

Confirmavit etiam hoc consilium meum, Ducis CASIMIRI bonitas atq; clementia, cujus magnam iste Princeps per amicos si- gnificationem dedit.

Amici mei veteres sciunt, ut me locorum soleant delecta- re oportunitates, & quàm mihi jucundum sit prædiolum meum Northemianum, quod Maximilianus Cæsar STYRMIANVM nomi- nari voluit, cujus beneficij confirmationem à Rodolpho filio expe- cto: qui paternæ beneficentiæ in omnibus donis perpetuam volet esse memoriàm, quam ego in hoc privilegio intermori non pariar, si, ut confido, obtineam.

Isto ego nunc careo, & conspectu uxoris meæ, & amico- rum quotidianis congressionibus, & bibliotheca, & foco meo, quod malum compenso, ut possum, hac Neapolitanæ urbis amœ- nitate, & quidem sanctiùs fortassis, quàm Vlysses desiderium Ithacæ patriæ, Calypsus consuetudine & hospitio leniebat.

Itaq; me in hisce novis Scholis & familiaritatibus reficio, pro hoc tempore, dum melius tempus opperior.

Cœli enim temperatio, & aëris puritas, magna est hu- jus loci, rari morbi, diu hîc vivunt cives & incolæ, qui temperanter vivunt, propter cœli salubritatem, & vini bonitatem, quæ commo- ditas chara parentibus esse solet, qui liberos suos ad exteras mittunt Academias. Sed hanc commoditatem pauci parentes & tutores animadvertant, veruntamen eos maximè movet, qui charissimam pignora desiderant, filios suos, in longinquis regionibus mortuos.

Collibus cingitur urbs ista ad meridiem, occasum, & Se- ptentriones, patens ad orientem vernum & autumnalem, divisa leni SPIRA amne, quo urbs Spira etiam diluitur, quod maximè ad salu- britatem & mundiciem illius civitatis facit.

Dividit hoc oppidum istud flumen ad COLLEGIVM NOVVM quod recens Princeps coëdificavit, in duas partes, quarum altera ad sinistram dilabitur: altera per urbem, partim etiam extra muros sese effundens, partim rectà defluens, propè mediam urbem partiens.

Hic fluvius murenula & salare pisce nobilis est, quæ salu- bris aquæ nota existit. Principis fluviale vivarium infra LAVTRÆAM, ad

ad Occidentem cœli partem, oriens, ex unius, ut audio, pollicis fistula, unde fontibus magis, quàm rivis majoribus, atq; iccirco grata salaribus & trutis aqua, ita augetur, ut non procul à fonte lignationibus sit commodissimus.

In collibus optimum vini genus provenit, præsertim quod *Anserinum* vocant accolæ, propter folia anserino pedi similia, nigri generis, quod in ea cœli parte maximè laudatur, quæ ad occasum autumnalem pertinet, coctum antemeridiano & pomeridiano sole. Etiam albi generis varia vina habent, quod ego non vereor cum Cossino Gallico comparare.

Ambulationes cœlo sereno, & umbras & solem toto die, etiam æstivo, habent, siue altos colles conscendas, siue in valle subter colles spatia facias, siue cis transvè fluvium Spîram ingrediaris.

Hæc scribens cogito de anno trigesimo septimo, quo Argentinam veni, & trans flumen Illum, ubi se Rheno conjungit, in prato, Eclogam feci ad Eobanum Hessum, quem Thyrsus in eo carmine Bucolico nominavi, cujus istud errat principium, si rectè memini.

*Thyrse gregis custos, Hessorum gloria Thyrsæ,
Ausonia turra colis, tibi, diva propago:
Najadum cœtus, redolentia ferta coronant,
Et dant quotidie, quoties aurora recurrit.
Nam quoties aurora redit nova munera donas,
Ausus es Ausonia primus, quacunq; Dei mens
Delecto edixit populo, cantare cicutæ.
Gratum opus agricolis, ovibus nec inutile nostris.*

Principium istud fuit Eclogæ, cæterorum versuum non memini. Hoc scio, reliqua omnia illius carminis fuisse allegorica, quibus & urbem nostram descripsi, & situm loci, & influxus trium fluminum,

minum, & præcipuos nostri Senatus & Scholæ viros, fictis nominibus laudâsse, & notis proprijs laudâsse, ut Iacobum Sturmium, ut Capitonem, Bucerum, ut Hedionem, ut Gerbellium, ut etiam Calvinum, qui tum in scholis nostris docebant, aut in republica nostra habebant autoritatem.

Et quod nunc epistola facio, malle[m] versibus facere, in celebranda hac Schola. Sed non eadem est ætas, non mens. Et scio, me senem esse vejanium, fixis armis ad Herculis postem. Grata tamen mihi est, & illius temporis memoria, & istorum virorum erga me tum benevolentia & studium, quod principium in illa urbe factum, in hac schola & gymnasio videtur habere exitum, qui sibi respondeat.

Et ut tum me Illus reficiebat: sic nunc me Spira, parvus & lenis fluvijs, recreat, qui hinc Neapoli: ad Spiram usq[ue] urbem, nullum montem, nullum collem, quem collem nomines, habet.

Interea verò loci pagi, latis plateis, mediocriter pulchris ædificijs interjecti, quorum etiam urbes non pudeat.

Oppidum Neapolis ita incolitur, ut difficilè sit ædes comparare. Cujus amplitudo etsi magna non sit: Pagi tamen & villæ ita oppido vicinæ, si muro jungantur, non magno sumtu aut impensa, cum amplis urbibus possit conferri.

Cives quasi rusticani, collibus vitiferis vicini, Sabinis Romanis similes, neq[ue] facultatibus immoderati, neq[ue] rebus necessarijs egeni, habent unde vivant benè atq[ue] hilariter, atq[ue] ejusmodi ingenijs præditi sunt, ut si disciplina Academica rectè administratur, facillime possit esse animorum conjunctio inter literatos & incolas.

Si in exilio mihi vivendum sit, longè gratior esset Spira Neapolitana mihi quàm Pontus Ovidiano illi Poëtæ ingratisimus, gratissima verò mihi Neapolis.

Sed in his commodis me maximè reficit conspectus Studiosorum adolescentum, & Literatorum hominum humanitas, quæ nulla re magis, quàm verecundia ostenditur. Discipulorum magna industria in auscultando, & Magistrorum magna doctrina in explicando, & utrorumq[ue] in moribus elegantia.

Concio-

Conciones habentur absq; ulla concertatione atq; contentione. Nemo in illis cum ignominia vel notatur vel nominatur, nequidem inimicorum quisquam, cuiusmodi apud nos raro audivisti.

Eadem hic artes & facultates & literæ docentur, quæ apud nos *Argentinae*, quæ tibi sunt omnia nota. Quoniam tu unus omnium fuisti diligentissimus eorum, qui cæteris suo præiverunt exemplo.

Primum illæ tres artes sermonis, Grammatica purè loquendi, Dialectica acutè differendi, Rhetorica copiosæ eloquentiæ, etiam ex *Aristotelis* & *Ciceronis* fontibus.

Deinde his cognatæ disciplinæ, Geometriæ & Astronomiæ, ex *Synusij* *Euclidis*, & commentarijs *Ptolomæi*, & cæterorum bonorum interpretum.

Tertiò *Ethica* ex *Aristotelica* doctrina & *Iurisprudentia*, ratione & via eorum, qui purius ista tractant: in *Gallia* præcipuè.

Postremò *Linguae* tres, *Latina*, *Græca*, *Hebraica*, quibus idonei adjunguntur scriptores, *Historici*, *Poëtæ*, *Oratores*.

Horum magistros & doctores non opus est nominare, ejusmodi enim sunt, ut mea laudatione non habeant opus, ut ne adulari videar, aut comparatione mihi invidiam conciliem.

Et est discrimen inter doctrinam & doctores. Doctrina enim semper eadem manet perpetua cum memoria scriptorum, qui Doctrinarum sunt autores, tam diu permanens, quàm eorum libri sunt perpetui.

Non eadem ratio est Doctorum & Magistrorum. Fortunæ atq; temporis est horum bonitas atq; copia, imò semper divinæ providentiæ.

Aliqui discedunt & vocantur ad loca & civitates alias, alios mors abripit, aliquos morbi diuturni impediunt. Humana hæc sunt omnia, sed etiam, ut dixi, divinitus administrata.

Exemplo esse possunt, mors *Lutheri* & *Melanthonis* *VVitebergæ*, in urbe nostra, ubi *VVolfgangus Capito*? ubi *Martinus Bucerus*? ubi *Hedio*? ubi nunc aliquid horum simile? Ut frugum,

sic etiam magnorum, hominum ut Poëtarum, ut Historicorum, divinitus solent proventus evenire.

His de causis neminem nomino, quoniam nota sunt illorum nomina, iidem enim sunt, qui anno erant superiore. Et propositum mihi est, nullam comparationem cum nostris facere, ne si hos laudem, nostros vituperare videar. Habeo enim Scholam nostram tanquam filiulam meam, cujus non diu propter senectutem pater superstes futurus sum. Hæredes relinquo omnes eos, qui post me venient.

Stipendia solvuntur partim pecunia, partim frumento anno. Majoribus facultatibus & professionibus, ut Iureconsultorum & Theologorum, majora sunt, eorum etiam, qui primi sunt ordinis, quàm qui inferioris, ut etiam in hoc ipso inferiore est aliqua æstimata distinctio, hujusmodi autem omnia, ut Optimi Principis.

Quod verò maximoperè laudo, summa omnium Præceptorum concordia, summus in omnibus rebus consensus, dissensionis aut alienationis ne quidem ulla suspicio, Inferiorum erga aetate aut doctrina aut loco superiores summa pietas & reverentia: Contrà verò superiorum erga minores veneranda charitas & benevolentia.

Hæc me, in hoc desiderio meorum & Academiae nostræ, vehementer, crede mihi, Ostrorogane Comes, consolantur. Fateor enim, mihi gratius esset vivere cum laude Senatus nostri, ubi fui, quàm alibi, cum dedecore meorum adversariorum, quicumq; illi sint.

Spero etiam fore, ut non tantùm possint, ut Anytus & Melitus & Aristophanes contra innocentem Socratem, inimici, ubi Senatus causam meliùs cognoverit.

Senatus enim id proprium accepit à majoribus nostris, ut libenter non peccet. Si peccat, peccat simplicitate & imprudentia, id quod rarò solet accidere.

Sed tu nôsti, quantum possint in religione & superstitione anticipatæ vel suspensiones vel opiniones, quibus nihil innocentibus

bus magis est adversarium. Vbi enim semel radices egerunt, facile extirpari nequeunt.

Quæris fortassis, an etiam ego in concionibus sim assiduus. Sum certè, & propè semper, quoties habentur, & quidem libenter, & cum magna non solùm voluptate, verùm etiam profectum magno.

Vtinam apud nos tales, annos jam viginti, extitissent, quales hîc. Horam enim unam hîc non consisterem, si quid hîc istius modi.

Dices fortassis, Me teneras habere aures, Spiritum Sanctum non pati sibi obicem obijci. Scio istud abs te, Ostrorogane Comes, non cogitari, novi linguas, novi aures hominum. Sed ô Barbaras aures. Spiritus Sanctus criminationibusne magis atque calumnijs delectetur, quàm doctrina & veritate? Quisnam est prudentium hominum, qui statuatur vocem Spiritus Sancti in illius anima hominis habitare, è cuius ore exeat crudelis calumnia, & infamem mendacium, ut in multis Germaniæ locis? Ad neminem enim singulariter pertinet hæc mea querela, ne novas lites videar querere.

De Neustadianis loquor. Nemo hîc vel nominatur vel describitur, ut antea proposui, ad odium aut infamiam. Res explicatur, atq; doctrina traditur: Suam confirmant, adversariorum refutant, sed absq; ullius injuria, non solùm hominis sed etiam ordinis. Est magistratus prudentis & humani officium, intercedere, ut ne quid hujusmodi in suis fiat Ecclesijs.

At tu, inquis, Sturmi, in scriptis tuis etiam acer es & acerbus. Et tu nominatim adversarios tuos vellicas.

Fateor, sed provocatus, invitus, compulsus, & quasi pertractus in hanc arenam, scribo: non ut concionator, & ut Ecclesiastes, & pastor ovium: Sed ut φιλοχρητῶς Philippicas scribo, non Philippenses epistolas, contra Iacobum Andream & Hosiandrum, & contra sicam illius popularem, more illo antiquo Romano, ut Cicero in Clodium & Antonium, ut Demosthenes in Midiam & Aeschinem.

Plebe nititur Iacobus Andreas, & acie suorum Subscriptorum, & illa jactat se pro concionibus. Ego è Scholis ab inimicis extractus, & in lucem invitè productus, ad doctos scribo, ut me defendam contra hæresin atq; calumnias.

Uter nostrum rectius? Illène, qui multitudinem & vim obijcit? an ego, qui ab his ad bonos & literatos provoco, à plebe & imperitis & simplicibus hominibus, quorum iste dominatur auribus?

Ego hæc de Pastoribus & Theologis Neapolitanis scribo, & horum sermones cum Iacobi Andreae & Hosiandri concionibus comparo, istorum inquam Manlianas & Tribunitias conciones cum horum Apostolicis & quasi Senatorijs sententijs confero.

Quanquam, quid ego hæc ad te, qui non parvis indicijs sæpè ostendisti, quid de ejusmodi hominibus, & vociferationibus, & fictis lacrymis sentires?

Horum recordari non possum, quin doleam. Metuo enim, si hæc consuetudo invalescat, ut Academiae nostræ plùs, quàm dicere ausim, noceat. Contra quem metum, vel potius dolorem, me consolor & confirmo Senatus æquitate & prudentia, & confido Scholarchas tacitè, ut prudentes sunt, considerare, quibus Scholarchis Argentinam vocatus sim, & quod ipsorum officium sit, in me defendendo & restituendo, in quo, si fallor, consolatur me tamen Classium constitutio, cujus disciplinam & ordinem ita institui, ut quandiu ista auctoritatem habebunt, confidam Academiam nostram destitui non posse auditorum & discipulorum frequentia.

Mihi gratissimum esset omnes omnium ubiq; Academicas esse quàm copiosissimas & quàm frequentissimas. Gaudet opilio copia gregis sui, & Pastor boum multitudine armentorum suorum delectatur, Caterorum etiam amplissimis pascuis non offenditur, etiamsi sua pascua non æquè sint boni su cci, neq; ampla æquè, modò grex suus nitent.

Atq; hoc nomine me Neapolis delectat, ex qua, tametsi cedat magnis & copiosis atq; numerosis Academicis, quæ varijs collegijs excellunt; In Anglia verò maximè propter collegiorum & edificiorum, ut audio, splendorem & facultates magnas annuas, ta-
men

men pro video atq; prospicio, orituros homines, qui Ciceronis & Maronis, & Augustini & Chrysofomi vestigia secuti, magno oramento & commodo futuri sint posteritati.

Lutetia crevit non solum studiosorum adolescentum copia, sed etiam collegiorum multitudine, liberalitate & benignitate eritorum Principum & Episcoporum, id quod nomina Collegiorum indicant, ut Collegium Navarrenum, Loxovienſe, Cenomanorum, Cameracense, Tornacense.

Idem in Anglia contigit, in duabus Academijs, Oxoniensi & Cantabrigiensi, quæ tametsi multitudine à Parisiensibus Collegijs superentur, tamen facultatibus & magnificentia antecellunt.

Paulatim crescunt Academiarum opes & auxilia, sed major fuit liberalitas antiqui seculi, quàm nostræ sit ætatis. Pauci inveniuntur, qui hujusmodi succurrant initijs, cum tamen istud facereregium & reginale, honorificum & liberale, sanctum & evangelicum, & munificum facinus esset, in his religionum disidijs, & in hoc periculo barbariei, quæ scholis & Academijs videtur impendere.

Me valdè delectat, quoties aspicio formam ædificij, quod Illustrissimus Princeps CASIMIRVS fieri curavit, in quo non suos solum Stipendiarios educat honestè & liberaliter, sed etiam externos admittit, panem & potum his suppeditans, singulis hypocauftum & cubiculum designans, ita ut si locus capere non potest omnes, ij tamen, qui prandere & canare volunt, octodecim florenis in singulos annos queant vivere. Opinor jam propè esse septuaginta, qui in eo loco, hac parva impensâ, simul prandent atquè cœnant.

Inter Germaniæ Academias tres me delectant Scholæ, Argentinenſis, & Altdorphiana, & nunc ista Neustadiana Schola, quæ his duabus, cum doctrinis, quæ docentur, tum Professoribus, qui docent, non dissimilis, jus certè Academicum meretur.

Aequè omnibus hisce tribus faveo, earum commoditates & utilitates & laudes volo, neq; me alienari patiar, ab urbis nostræ hoc tam insigni ornamento, injuria aliquorum meorum adversariorum.

Sed dices fortassis, At non doles, Sturm: ob has tuas in hac

ætate molestias? Non maximoperè doleo, mi Ostrorogane Comes. Neq; enim Scholæ metuo, dum ibi sunt aliquot Iureconfulti, ut Doctor Laurentius Tuppius, ut Doctor Obertus Giphanius, ut Doctor Michaël Beutherus, nunc etiã Coctor Georgius Obrechtus: omnes Iureconfulti & literati: Ethicus etiam explicator: Theophilus Golius, & Classici aliqui antiquæ fidei & notæ magistri, omnes benè docti & benè literati, qui, quo ad poterunt, omnem aditum obstruent barbaris ingenijs, ut ne quid possit in Academia Barbaries.

Non enim velim mihi istam laudem attribui, mecum ex urbe elegantiam literarum discessisse, & Academiam opto esse quam numerosissimam, & his testimonium do doctrinæ & elegantia.

Mea causa aut non doleo aut non dolere debeo, qui enim debeam dolere, si commerui? Cur non patiar, & pœnas dem, si deprecari non possum, tam morti, propter ætatem, vicinus? metu ne pœnæ à Confessione veritatis deterreri debeam? quam ne quidem Socrates, tamen non Christianus, est deprecatus. Si vis mihi fit, à paucis imperitis & malevolis: si injuria, ut fit, cur extimefcam? cur doleam? cum extra jacula verfer: aut cur dolerem, si in ipsis verfarer telis?

Crede mihi, Ostrorogane Comes, in utramq; aure in dormio, propter conscientiam in hac causa, quam suscepi contra istam Dianã Ephesinã: & contra istã in hac Diana *παλιγγενής* lex omnium veterũ hæresium, quam oppugnare, dum vita suppeditabit, non desinam.

Quoniam nescio, mi Ostrorogane Comes, quibus in locis verferis, dum à Domino Nicolao fratre discessisti, qui ad me scripsit de hac tua profectioe gratissimas literas, statui hanc epistolam in lucem edere hisce autumnalibus nundinis, ut in singulis provincijs esse queat, apud exterarum gentes, ad quas pervenies, aliqua fortassis etiam manibus tuis occurrer, in qua meum erga te amorem atque memoriam perspicias. Non enim dubium est, quin latere, si leges, forti animo ferre me ea incommoda & injurias, quas, cum nobiscum esses, cum dolore animadvertisti.

Non enim ita me movet casus iste, neq; ita ferijt, ut mihi non constem, ut mihi honorificum non esse ducam. Si restituar
opc

ope bonorum & æquitatis Senatus nostri, primo quoque tempore altera epistola te certiores faciam, eadem hac publica & regia nundinali via.

Vbicunq; sis, aut futurus sis, tibi ego salutem & felicitatem precor. Perge, ut cœpisti: ut ab omni virtute atq; doctrina instructus in patriam, & ad istum victoriosum Regē Poloniae, qui Regium nomen præclaro exemplo tuetur, redeas: ut te aliquando & sibi & patriæ & regno suo natum esse lætetur, & te talem esse, qualē parentes, atque cognati, atq; propinqui, atq; amici semper fore sperarunt.

Scripsi hæc cō confidentiū ad te, quod ex Bleydnero nostro intellexi, quæ tua erga me sit benevolentia, & quale studium, quæ res me profectō maximopere consolata est.

Nam tamen antea istud studij liberaliter declarasti, tamē grati mihi fuit, te etiam Argentina discedentē, cū in prædio meo abessem, ista ex Ioh. Bleydnero recognoscere, quotidie verò recognosco, quoniā nullus ferè dies est, quo mihi hujus non in mentē & memoriā redeat. Dominus Georgius Latacius, Domini Georgij Comitiss Labisiani & Palatinidis Possaviensis filius, hīc Neapoli est: propinquus, ut opinor, familiæ vestræ. Egregia profectō non spe solum & expectatione, sed etiam virtute quasi præsentē atq; probata adolescens, cum moderato re suo, Adamo Thobolio, viro ad eō modesto & prudente, ut nesciam, an Comes discipulus natura talis sit, qualis est, an ab hoc Præceptore sit factus is qualis est. Præclare de vestra familia, & duobus vobis fratribus sentiunt atq; loquuntur.

Vsq; ad eō literarum & virtutum omnium studiosi sunt, ut latere hīc maluerint, quàm vulgō, qui sint, velint intelligi.

Sum valdē sollicitus de hisce tuis, quæ facis, itineribus. In Gallia quidem antehac minus fuit periculorum. Sed in hac conscriptione, & concursus, & oberratione militum periculosa omnis profectio est.

Omnis enim copiosa turba vim pro jure habet, & jus est petulantia & insolentia hominū, nisi disciplina bona militari regantur, quæ certē nostris moribus nulla est, ad eō dissoluta, ut nihil boni inde sperandum sit, antequam non toleranda omnibus Ordinibus Europæ videatur.

In Italia plus periculi est, quod quidem vir bonus & prudens contemnit, & rectè quidem, sed, ut rectè agat, ut videat, atq; discriminet, quid inter verum & verisimile intersit, quid inter rectum & necessarium, si videat, quid fieri possit, & quid sit necessarium.

Nemo sanus in non necessarium se conijcit periculum. Ut contra naturam nemo pugnat bonam, sic etiam nemo; quod fieri non potest, aut nondum fieri debet, id contendit. Neq; enim in omnibus locum habet illud Apostoli: Contra spem in spem. Ut non omni Spiritui, qui foris est, fidendum est, sic etiam non omnibus suis cogitatis vir bonus obtemperat. Scis enim duo in homine esse φρονήματα.

Matura, sed lentè, in periculis atq; angustijs, ascende in Capitolium, & arcem Domini, cum ad loca prærupta venies.

Ecclesia Romana certè tùm, cùm in Græcia etiam pars altera Imperij esset, doctrinam Trinitatis, & de Persona Christi, purè servavit, & ad hoc usq; tempus defendit. Digna suo autoritatis loco esset, nisi ad Pelagianismum defecisset, sui quæstus causa, ex quo omnis impuritas in doctrinam, & religionem, & in sacras Cereemonias dimanavit, ut difficile sit ista recuperare in Pontificatu, quæ Apostolorum & Patrum primorum ætate fuerunt purissima.

Serenissimus Poloniæ Rex in his rebus instituendis, ut in præclarum exemplum statuere posset, dum facultates adhuc integræ sunt Episcopatum & Ecclesiasticorum ordinum, atq; etiam isti ordines suam adhuc autoritatem retinent, quam retinere & defendere possent, si doctrinam & cultionem DEI puram & iniolatam concederent, & conscientias doctorum & literatorum hominum paterentur esse liberas.

Fateor enim Romanum Imperium, nescio quam illustriorem & sanctiorem ostendere majestatem, compositam ex Politicis & Ecclesiasticis Ordinibus. Facit enim hæc ratio atq; contemptio ad tutelam omnium & singulorum, & ad exempla morum, & clementiæ, atq; lenitatis, & temperantiæ atq; modestiæ, & ad verècundiam atq; elegantiam, & ad pietatem atq; sanctitatem.

Si Rex etiam ipse Ecclesiasticis concederet id, quod Principes Imperij à Cæsaribus, Carolo V. Ferdinando. I. Maximiliano. II. postularunt: quemadmodum politicis Principibus: sic etiam Ecclesiasticis concederetur, quemq; suo arbitratu, & pro sua conscientia, in suis Ecclesijs atq; templis, religionem emendare. Et poterit fortassè istud facere, ut ne Pontificem quidem offendat: si id Pontifex, vel sua sponte, vel postulante Rege, concederet.

Video enim nos cum Pontificijs posse faciliùs in gratiam redire, quàm cum istis novis Eutyrianis, qui omnes consopitas & profligatas hæreses veteres, quantum in ipsis est, revocant: Et hujusmodi hoc anno ediderunt Formulam Concordiæ, quæ omnem spem sustulit publicæ concordiæ. Spem omnem tollunt vel Occumenici vel Merici Concilij.

Si Pontifices nobis concederent doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, & antiquæ Ecclesiæ puram, si purum cultum in Ecclesia, si puras Ceremonias, si à crudelibus supplicijs abstinere: Utinam nos illis & auctoritatem & facultates & honores & ornamenta sua & suum in nos imperium concederemus.

Hæc fuit perpetua Philippi Melanthonis & Buceri sententia, etiam primorum nostræ religionis & Evangelicorum Principum fuit sententia atq; optatum. Atq; hac de causa nulla fuerunt habitata Comitia, ad quæ relatum non sit de Concordia Ecclesiarum omnium.


Istud quæso diligenter consideres: & ne quem in Italia lacessas. Scio te idem sentire: & observavi istud in te: moneo tamen, ut te conserves integrum, & ne quidem patiaris trahi te ad ullum certamen.

Observa, quid mihi acciderit, certè non accidisset ne quidem mihi, nisi eò redactus fuisssem, & nisi ab istis crabronibus liberare me fuisset necessarium.

Florentiam si venies: saluta meis verbis Petrum Victorium diligenter. Amavi annos jam multos & doctrinam viri & iudicium, Nunquam ille ad me, neq; ego ad illum. Et fortassis nunquam

St. g. j.
annus
75 etatis

quam ille de me cogitavit, ego verò de illo sapè. Dic ei: me, quot ipse annis ante me in hanc vitam venit, totidem annis ex hac vita illum subsecuturum. Calendis autem proximis Octobris ingredior annum septuagesimum quintum. Vale: Generose Comes Ostrorogane, Neustadij. Calend. Septembr.



HAEC ego nudius tertius dictavi. Heri enim cum Doctore Hieronymo Zanchio & hospite meo Fortunato Crellio, benè mane, ante Solis ortum, ad Lambertinum pagum, novū Arduennatiū exulum & felix asylum, exivi, ut viderem Eucharisticos illorum ritus atq; Ceremonias.

Hic ea vidi, quæ me ex hoc cœtu & ab hoc tempore usq; ad ætatem Origenis atq; Clementis abripuerunt: ut videre mihi viderer exclusos illius temporis paganos & profanos homines atq; etiam Catechumenos: & idoneos Christi sanctos atq; fideles in hoc mysterio participes & concorporos Christo fieri.

Magna hujus loci disciplina est, sancta omnium vita, nihil impurum: nihil spurcum: nihil immodestum patiuntur.

Pransus deinde unà cum præfectis pagi, domum reversus, certior sum factus de morte Sabinæ, quæ filia fuit Christophori Ducis VVirtenbergensis, Optimi & Prudentissimi Principis, & VVilhelmi Landgravij uxor. Quo nuncio vehementer, mihi crede, Ostrorogane Comes, sum percussus, cum præter spem atq; expectationem hunc Præstantissimi Principis subitò luctum intelligerem: variè tamen etiam in alteram partem jactatus.

Veniebat enim mihi in mentem, Smalcaldici temporis, in quo Senatui nostro à patre Philippo commendatus, Argentinae apud Doctorem Iohannem Andernacum Medicum vivebat, vix pubertate incoata; tamen ita institutus, ut etiam Mathematicis artibus videretur delectari.

Adfe-

Adferebantur ea ætate crebræ literæ & rumores de exercitu, & de duobus illis Ducibus, siue ea res erant tristes, quæ nunciabantur, siue lætæ, moderatè lætabatur, æquanimitè etiam dolebat.

Bello isto confecto rursus in Mauriciano ipsum vidi exercitum, excitatum spe Patris liberandi, bonis indicijs militaribus.

Cum jam vir factus esset, rursus cum Argentinæ vidi: ubi comitem habuit Illustrissimum Principem Ludovicum Palatinum, jam Electorem, unâ cum uxore Elisabetha, sorore Landgravij.

Memini paucorum verborum illius temporis: cum laudaret ab humanitate & hospitalitate Ducem Christophorum VVirttembergensem. Cætera omnia magna omiserat. Vnum admirabatur: quod cum corpulentior esset & carnosior: tamen loca aspera conscendit, ut quæ ibi visenda essent, ipsis ostenderet. Sæpè mihi in mentem venit, cum hæc diceret, ipsum alia etiam jucundiora tum cogitasse: Promissam sibi, quod tum ignorabamus, Sponsam virginem: formam etiam & pulchritudinem & vocem & pudorem & castitatem & disciplinam virginalem.

Cum verò vir jam factus esset & pater aliquot liberorum, vidi Cassellæ, ante annos opinor quinque, prandentem cum uxore, valdè recreabar, quòd mutuam charitatem mariti & uxoris viderem, & eam formam, in cujus vultu pudor & castitas & ingenium matronale habitare videbatur.

Post prandium ostendebat Doctori Christophoro Ehemofilium, vix opinor bimulum illo tempore, pulcherrima facie puerum.

Ecce nunc Patrem viduum vidimus, & filium matre orbum.

Quàm multa hominibus accidunt inspirata atq; invisâ? Ego reipsa comperi, qui luctus sit, discessu uxoris & liberorum. Careo nunc conspectu uxoris meæ: abs sum ab ædibus meis: non versor in Scholis meis: Sturmiolum prædiolum meum desidero.

do. 1700...
ex parte
1581

1808701

00N 1431119195 -

Parva ista sunt, etiam si recuperare non possem, præ ut
mæror est in luctu & in subito & repentino desiderio uxoris aut li-
berorum,

Deus adsit huic Optimo Principi. Utinam ego aliquam
consolationem offerre possem. Sed nullus est dolor, quem non
tempus minuat, & rerum melior vicissitudo.

Tristissima ista quidem memoria est: sed quæ oculis per
dolorem cernere jam non possumus, neq; mente cogitare: eorum
paucis annis post jucunda evadet recordatio: ut etiam mihi.

Rursum vale, mi Ostrorogane Comes. Neapoli, quarta
Septembris, Anno Domini, M. D. LXXXI.



Johan.